



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. X. Vtrùm sententia rigida saluti animarum sit noxia?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)



# QUÆSTIO DECIMA.

## Vtrum sententia rigida salutis animarum sit noxia ?

**D**E hac re fusè egi *quæst. 31. seu ultimâ de conscientia probabili*; quare breviter hic & per modum Corollarii de illa agam, ut cuidam objectioni Celladei respondeam; nam quod dictis in illa quæstione addatur, vix invenitur.

### ASSERTIO UNICA.

*Rigida Celladei opinio, si admittatur pro conscientie regula, salutis animarum noxia est.*

Rigida Celladei opinio animarum salutis noxia est.

**2. PROBATUR.** Illa sententia est noxia, & salutem animarum impedit, quæ gravat jugum Christi, innumeras perplexitates inducit, Sacramentorum administrationem difficillimam reddit, peccata multiplicat, cœlum hominibus claudit, efficitque ut pauciores salventur. Talis est rigida Celladei sententia, ut constat ex quæstione superiori, quia si admitteretur pro regula conscientie, omnia ista inferret. Ergo rigida Celladei sententia noxia est, & salutis animarum impeditiva.

### SOLVUNTUR OBJECTIONES.

**3. OBJIC.** primò. Ratio ad stabilendam assertionem allata nullius momenti est. *Vix sanè nuga non sunt* (inquit Celladeus lib. 1. *quæst. 1. §. 7.*) *nobis ita opinantibus plures vel pauciores salvari. Optandum esset, ut omnes salvi fierent. At nemo, ait Aug. stinus, optando facit, ut verum sit quod verum non est. Similiter dicamus nos, nemo opinando facit, ut verum sit quod verum non est. Si probabilis recta salutis via non sunt, salutem haud afferunt, sed perniciem inferunt animabus. Similiter, si non sint recta regula administrandorum Sacramentorum, illa rectè per eam non administrantur. Porro fatius est ea Sacramenta rectè quàm sepe administrari. Ergo fatius est admittere sententiam rigidam quàm benignam. Ita Celladeus loco citato.*

Opiniones efficere possunt ut pauciores salventur, quàm alioquin salvandi fuissent.

Respondeo, neminem dicere, numerum prædestinatorum, qui de facto est, augeri aut minui; hoc enim non nugatorium, sed stultum esset; dicimus tamen, & indubitanter dicimus, opiniones, sectas, & peccata hominum efficere, ut pauciores salventur, quàm alioquin salvandi fuissent. Quis non videt hæreticorum sectas, Mahumetismum, sceleratorum hominum peccata, horrendas persecutiones efficere, ut non solum innumeri parvuli, sed etiam adulti damnentur, qui alioquin æternam vitam consecuti fuissent. In eo ergo æquivocat Celladeus, quòd in Deo confundat voluntatem signi cum voluntate beneplaciti, seu voluntatem inefficacem cum efficaci. Hæc Dei voluntas nunquam frustratur, nec fru-

strari potest; illa verò impeditur, & sæpe per usum liberi arbitrii quodammodo frustratur. Hoc apertè constat ex eo, quòd innumerales homines damnentur, etsi Deus serè velit omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Impeditur ergo Deus, ne salvet quos salvare intendebat. Similiter non solum dicimus consilium Dei impedire, sed etiam irritum facere, juxta illud Psalmistæ. *Consilium Altissimi irritaverunt.* His positis, dicimus, nimis strictas Theologorum sententias perplexitates inducere, peccata multiplicare, & quod plus est efficere, ut pauciores salventur, non quàm sint verè salvandi de facto, sed quàm salvandi fuissent, si tales opiniones nunquam traditæ fuissent, quo nil certius aut evidentiùs in Theologia dici potest. Porro hominum istorum perditio talium opinionum Auctoribus sæpe tribuitur. Videat proinde Celladeus, atque etiam videat, ne singulari sua rigidissimæque sententia laqueum animabus injiciat, pluresque in infernum detrudat, quæ, si ipse tam rigida non scripsisset, in æternum cum Deo recognassent.

Celladeus confundit voluntates quæ in Deo formaliter, distinguuntur.

**4.** Eodem æquivoco laborat quod dicit, Homo opinando, aut opinando, (addo ego orando aut laborando) facere, ut verum sit quod verum non est, quia evidenter repugnat idem simul esse, & non esse verum. Nihilominus certissimum est, homines opinando, orando, laborando efficere, ut plura sint vera, quæ absque tali opinione & conatu nunquam vera fuissent. Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset, & si Christus non venisset, & locutus fuisset Judæis, peccatum non haberent. Itaque opinio & conatus non alterant ea, quæ independentè ab illis sunt vera aut falsa, sed plurima immutat ab ipsis dependentia, efficiuntque ut vera evadant, quæ alioquin fuissent falsa. Hac ratione viri Apostolici optando, orando, Evangelium prædicando efficiunt, ut multi salventur, qui sine tali ministerio damnati fuissent. Eadem porro est ratio de opinione, illa enim non facit esse verum quod actu verum non est, sed verum reddit quod alioquin fuisset falsum. Hoc tam patenter verum est, ut mirum sit, Theologum potuisse id in dubium revocare. Profectò omnis, qui operatur in dubio aut contra conscientiam, peccat; qui tamen nullo modo peccasset, si ante operationem invincibiliter judicasset operationem esse licitam. Ergo non solum opinio, sed error sæpe facit verum esse, quod ablato errore verum non fuisset.

**5.** Atque hinc manifesta Celladei inconsequencia se prodit. Admittit ille ignorantiam & errorem invincibilem à peccato excusare, cum tamen certum sit, errorem & ignorantiam invincibilem non reddere vera quæ vera non sunt, nec efficere, ut aut non parentur peccata, quæ fiunt, aut ut ullus ex actu reprobis in numerum prædestinatorum transferatur. Hoc tamen non obstante

Celladei inconsequencia,



obstante asserit, vitiationem peccati, & praedestinationem plurium, talem cum hac ignorantia conationem habere, ut illa dependenter ab hac suum effectum fortiantur. Ecce ipsemet urgetur is, quae contra nos objicit, nec aliter ea solvere potest, quam si idem nobiscum respondeat.

Celladei traditio.

6. Porro aequivocum etiam est, quod dicit, si probabilia recta salutis via non sunt, non salutem, sed perniciem animabus afferunt. Peto enim, quid per rectam salutis viam intelligat? si, ut ex totius libri contextu videtur, intelligat veritatem iudicii probabilis, quo dirigimur in operando, toto caelo aberrat, & sibi contradicit, quia in hoc sensu error invincibilis non est recta salutis vias error tamen ille non perniciem, sed salutem animabus creat, ut apud omnes, Celladeo fatente, certum est. Quod si per rectam salutis viam intelligat dictamen, aut dispositionem, qua peccatum formale excluditur, tunc verum est, probabilia perniciem non salutem afferre, si non sint recta salutis via. Verum in hoc sensu certum est, quod sint recta salutis via, quodque salutem afferant, cum absque dubio a peccato formaliter impurabili excusent. Eadem doctrina, eademque interrogatio, ac distinctio locum habet in administratione Sacramentorum, ut patet. Quod si Celladeus contendat, rectam salutis viam esse dispositionem, non qua peccatum praecise vitatur, sed qua opus bonum perficitur, ideoque velit probabilia falsa non esse rectam salutis viam, quia opus bonum non producant; inprimis in hac sua singularissima sibi propria opinione errat, ut ostensum est quaest. 3. Deinde hoc admisso, malam illationem colligit, quia admittit errorem invincibilem excusare a peccato, etsi opus bonum non fundet. Ergo sicut per ipsum error invincibilis perniciem animabus non infert, etsi salutem non afferat, ita pariter consequens non est, probabilia perniciem animabus inferre, si recta salutis via non sint, & salutem non afferant.

Obiectio 2.

7. Ob. secundò, si rigida sententia esset noxia, & benigna saluti animarum proficua, hoc inde sequeretur, quod, stante benigna sententia, facile esset conscientias dirigere, cum illa per praescripta in Summis casuum dirigere possent. E contra, conscientiarum directio difficillima esset & perplexa, si rigida sententia afflueretur pro regula, tunc enim non liceret uti Summis casuum pro directione conscientiae, sed opus esset magna doctrina ac sapientia ad tale munus administrandum. At hoc non est inconveniens. Nam ex adverso sic arguo.

Nazianzenus.

Si vera esset benigna sententia, omnes etiam juvenes, & Theologiae parum periti, statim evaderent absolutissimi Magistri conscientiae, & peritissimi animarum Rectores, quia quisque accipere posset Summam casuum conscientiae, & secundum illam & se & alios tuto dirigere. At haec ipsa rei tanta facilitas satis aperte arguit eisdem sententiae falsitatem, quia ut Nazianzenus Orat. 1. Apol. praclare argumentatur, si nulla disciplina, & ne quidem ars canendi tibiã, aut saltandi absque diuturna exercitatione, plurimoque labore acquiri possit, Sapientiam (qua rerum divinarum humanarumque scientia est) quaeque omnibus praest, & bona omnia complexu suo tenet, rem usque adeo levem, & proteritam existimabimus, ut ad hoc, quod quisquam sapiens sit, voluntas sola requiratur? At benigna sententia est illa, quae sapientiam non solum disciplinis omnibus faciliorem, sed absolute adeo facilem reddit, ut sola

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

quodammodo voluntas Summam casuum legendi sapientissimum reddat. Ergo falsa & animarum saluti noxia est benigna sententia, ex qua tantum absurdum sequitur. Ita Celladeus lib. 1. quaest. 5. §. 1. Ergo sententia rigida animarum saluti non officit.

Respondeo, omnem disciplinam peritorum Magistrorum industria reddi leviores. Fieri ergo poterit, ut quis longè citius plurima discat, si voce aut scripto Magistri dirigatur, quam si ipse per se eadem discere tentaret. Sic facile est aliquem jam discere historiam Romanorum v. g. si diligenter legat unum aut alterum librum, in quo tota rerum ab illis gestarum series continetur, qui tamen novitiam illam tota vita discere haud potuisset, si ipse collectiones ab aliis factas per seipsum in unum coacervare debuisset. Idem proportionaliter in aliis, & nominatim in casibus conscientiae quodammodo locum habet. Peritissimi enim Magistri ideo collegerunt casus in unam Summam, ut minus periti labore levarentur, ac brevi tempore discere possent, quae absque talium Magistrorum subsidio vix tota vita scire potuissent. Itaque haud dubie, qui tales Summas, nullis opinionibus prohibitis aut practice improbabilibus fedatas, ad manus habent, brevi attingere possunt ad quandam pro idiotarum directione sufficientiam, si illas sedulo evolvant, modò hebetes non sint, sed ingenio polleant, & aliquam in doctrinis Theologicis institutionem habeant.

Industria peritorum facilem reddit disciplinam aequationem.

8. Et sanè peto à Celladeo, quid ipse ad idem argumentum dicat? nonne magna sapientia est in omnibus aut pluribus exactè scire positivum illud probabile, quod ipse pro conscientiae formandae regula proponit? nonne longum planè studium & ingens labor requiritur, ut quis omnia illa probabilia sciat, & in unum corpus colligat? Ponamus jam ipsum Celladeum unam cum aliis viris doctissimis omnia illa probabilia in unam Summam colligere, atque id ipsum talibus argumentis & testimoniis probare, ut dubium nullum superfit, quin omnia & singula in illa Summa contenta ad eum probabilitatis positivae gradum pertingant. Peto jam, an homo ingeniosus, de hac veritate planè convictus, diligenter perlegens talem librum, non possit brevi ad magnam sapientiam atque peritiam in casibus conscientiae solvendis, atque animabus regendis pervenire? Certè ille plus sciret ex mente Celladei, meliusque ad illud munus instructus esset, quam quivis Theologus peritissimus, quia nemo omnium est, qui omnia illa disertè novit, aut possit talia probabilia ab aliis absque novo atque ingenti labore discernere. Sed quid? illa facilitas essetne signum falsitatis, quia nemo evadit facile sapiens? Ecce argumentum ab ipso Celladeo solvendum est, eodemque quidem modo ab ipso solvi debet, quo à nobis solutum est.

Celladeus proprio argumeto respondere debet.

9. Ceterum in his ipsis casibus, etsi homo hanc ratione de rebus illis superficialiter instructus, si interrogaretur, dicere posset, hoc licitum est, hoc illicitum; hoc est peccatum mortale, hoc solum veniale, &c. non tamen simpliciter loquendo sapiens esset, aut juxta mentem Nazianzeni sapiens dici posset. Non enim absolutus Theologus est, qui omnes Theologiae assertiones in libro aliquo conservatas habet, quamvis interrogatus de aliqua quaestione Theologica, si librum consulat, facile respondere, & assignare possit, quid illa de re sentiendum sit, aut à peritis sentiri soleat. Similiter, qui propo-

Utens Summam casuum, & ceteros alios dirigens, non ideo simpliciter dicitur sapiens.



sitiones Euclidis collectas tenet, earumque sensum callet, non ideo peritus geometra dici debet, quamvis per modum assertionum plurima dicere possit, atque instar veritatum certissima dicere proponere. Idem proportionaliter locum habet in casu nostro de Confessario, qui Summâ casuum ad poenitentes dirigendos utitur. Ille enim non est sapiens Theologus, quamvis in multis ac plurimis tam alios quam seipsum etiam possit dirigere. Ratio est, quia ille solum sapiens Theologus dici potest, qui non solum quid tenendum, sed etiam quare ita sentiendum sit, novit; quique omnium assertionum ordinem atque connectionem bene callet, rationesque in contrarium afferri solitasolvere, suasque Theses validis rationibus munire potest. At hoc à nemine, etiam ingeniosissimo, utente Summâ casuum, statim acquiri potest; magno enim labore, diuturnoque tempore opus est, ut ad talem sapientiae gradum quis pertingat; & magna hominum pars prorsus inepta est, ut ad talem scientiae gradum ascendat.

Summæ casuum utiles sunt, & necessariz ad Confessarios dirigendos.

10. Cæterum miror, cur hæc facilitas scientiam per Summas casuum regendi Celladeo displiceat. Putatne fortasse consultum fore Ecclesiam, si nullæ ejusmodi Summæ extarent? aut certe si à nemine nisi à consummato Theologo

legerentur? At quis tunc rusticorum in omnibus pagis degentium curam gereret? ubi inveniet ille tot consummatos Theologos, qui possint, aut velint omnibus omnino Ecclesiis Parochialibus inservire? Profectò longè melius est ut tales libri extant, ex quibus minus periti juventur, quam si aut non extarent, aut minus periti iis non uterentur. Neesse enim est, maximam Parochorum partem non esse viros in Theologia ac Canonum peritiâ consummatos, cum juxta conditionem humanam tot docti inveniri non possint, qui omnibus omnino locis præfici possint, aut velint. Ergo congruum prorsus est, ac quodammodo necessarium, ut officium animas regendi per hujusmodi libros facilitate, quia longè plura incommoda provenirent, si Pastores animarum talibus præfidiis destituerentur, quam ex eorum usu de facto veniunt. Quod cum ita sit, ex hac ipsâ talium librorum necessitate confirmatur benigna, & rigida Celladei sententia confutatur, quia illa ita constituit rempublicam, ut illi de idoneis ministris animarumque Pastoribus provideri non possit. Impossibile enim est invenire sufficientem numerum eorum, qui ex propria scientiâ conscientias dirigere valeant. Sed de hoc argumento iterum discutendum erit in sequentibus.

## QUÆSTIO UNDECIMA.

*Virum eadem sit ratio sectandi probabilia in materiâ morum, ac in materiâ fidei?*

1. **N**ON solum recentiores, sed etiam antiqui Theologi sic argumentati sunt. In materiâ fidei licitum est sequi quamcumque opinionem probabilem. Ergo & in materiâ morum licet sequi quamcumque opinionem practicè probabilem. Antecedens sumitur ut principium notius, de quo nemo meritò dubitet. Consequens ob paritatem, seu potius ob identitatem rationis rectè deducitur. De hoc argumento latè egi *quæst. 21. de conscientia prob. à num. 16.* ex qua nonnihil huc transcribendum judicavi, ut satisfaciam iis, quæ Celladeus circa hanc paritatem protulit *lib. 1. quæst. 1.* Sit ergo.

### ASSERTIO UNICA.

In materiâ fidei licet sequi quamcumque opinionem probabilem.

In materiâ fidei licitum est sequi quamcumque ex contrariis opinionibus certò probabilibus. Ex hoc autem ritè inferitur, quòd idem liceat in materiâ morum.

2. **P**ROBATUR prima pars, quia alioquin in rebus ad fidem spectantibus nemo licitè posset ullam opinionem tenere, donec Ecclesia determinasset, eò quòd periculo erroris se exponeret; nec salvaretur per hoc, quòd post debitam diligentiam probabiliter judicaret. At sequela est aperte falsa; tum quia est contra unanimem consensum & praxim omnium sapientum, tum quia veritas talis sequelæ esset noxia, hominibusque à studiis sacrarum literarum ac Theolo-

giæ revocaret. Et sanè tum ex communi omnium consensu & praxi, tum ex ipsâ naturâ rei manifestum est, quòd in materiâ fidei liceat sequi quamcumque ex opinionibus contrariis certò probabilibus, quas Ecclesia tolerat, & in quibus graves Doctores inter se dissentunt. Ratio est, quia cum ex neutrà parte certitudo reperitur, & certa probabilitas utrique parti faveat, sitque laudabile veritatem investigare, haud dubiè honestè facit, qui eam partem amplectitur, quam post diligens examen veram reputat. Idem fuit antiquorum Theologorum sensus. Unum cito S. Antoninum, qui *parte 1. tit. 5. cap. 10. §. 10.* suæ Summæ hæc habet. *Probatum hoc idem tali ratione secundum Cancellarium. Fides est tam necessaria, sicut virtutes morales, etsi non amplius; sed constat communiter apud Theologos, quòd in materiâ fidei, dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesie tenere unam partem vel alteram sine periculo peccati, vel fidei, ut patet in Abbate Ioachim, qui tenebat contrarium ad id quòd Magister sententiarum dixerat in 1. dist. 1. lib. pro quo Magistro sententiam Ecclesia postmodum determinavit. Extrav. de summa Trin. Damnamus. Nec tamen dictus Ioachim incidit in hæresim aut perfidiam propter hoc, quia dicta sua omnia subiecit correctioni Ecclesie. Ergo à simili licet unam opinionem in moralibus tenere, juxta limitata superius, ubi saltem magis sapientes non sentiunt contrarium, & ubi paratus est obedire Ecclesie & Scriptura, si ei errorem explanaverit. Constat ergo veritas primæ partis.*

3. Probatum secunda pars non solum à paritate, sed etiam ab identitate, seu potius à majoritate